

**S**ummum illud dignitatis fastigium in quod  
TE, VIR SVMME DEVENERANDE,  
prouida numinis cura euexit, nec non insignis  
virtutum TVARVM, ac meritorum splendor,  
facile effecit, vt hasce meas pagellas, tenuis ingenii  
foetum, indignum censerem, quem Magnifico TVO ex-  
ornarem nomine, atque in sinum TVVM deferrem:  
At uero paullulum auerti oculos meos a reuerenda TVA  
dignitate, ac cogitavi apud animum meum, quod tan-  
ta in TE sit humanitas, vt etiam humillimos TVI no-  
minis cultores grauissimo TVO patrocinio, beneuolen-  
tia, immo amore tueri, prosequi, ac complecti soleas.  
Submissa insuper atque grata mente recolere consueui  
magna TVA, VIR MAGNIFICE, quae in beatum  
patrem meum, atque in me exstant merita: Quanta  
in illum contuleris beneficia, iam non commemorabo,  
debitas ille aliquando TIBI referet gratias in sedi-  
bus beatorum, in quas ante biennium fuit rece-  
ptus. Quanta in me TVA fuerit gratia, pau-  
cis indicabo: TV non dedignatus es sacrae ini-  
tiationis meae existere arbiter: TV in ordinandis  
meis litterarum studiis beato patri meo, atque mihi  
sapientissima suppeditasti consilia; TVO consilio,  
TVA benigna atque prouida cura factum est,  
quod in illustri illo Leucopetrensi gymnasio exoptatis-  
sima mihi contigerit occasio, animum optimis arti-  
bus excolendi. Saepius cum insigni animi volupta-  
te